

religionis habitum receperit consilio nostro dilectique fratris nostri domini .B. Episcopi Lyncopensis super hoc prius requisito nil contra leges terre factum fore culpabiliter uel uiciose sicut nobis retulerunt dominus .b. legifer Osgotorum & dominus Suantpulk quibus hujus negotii discussio commissa fuit specialiter si tantummodo contra parentum consilium et uoluntatem. quod etiam dominus byrgerus Kanonicus Lincopens. auunculus domine prefate testabatur addens quod ad claustrum nihil secum detulerit inter necessaria corporis indumenta similique modo pater eius M. negocium se habere fatebatur. quoniam recepit eam in sacristia ad gratiam plenariam & amicitiam presentibus venerabilibus dominis B. episcopo lyncopensi aliis tribus supra nominatis etiam aliis quam pluribus fide dignis. In cuius gratie ac amicitie receptionem in presencia omnium monialium Wretensium in salutem anime sue unum octonarium contulit in Ramnstadum commutatum de Kydiauadum. pro legacione speciali. tali condicione supposita quod si eo mortuo filia superuieret de predicto octonario curia deberet construi cum omni suppellectili & utensilibus necessario ad curiam requisitis. Si autem eam prius mori contigerit unus octonarius de bonis sibi collatis cederet monasterio predicto iure perpetuo possidendus. constet tamen omnibus parentes dicte domine quamdiu uixerint donum illud ad suos usus uelle cedere & filiam suam in quantum postea de hoc pro necessariis adiuuare. Ne autem ista que secundum leges facta sunt ausu temerario audeat quis infringere uel donum cum iniuriis usurpare, ne etiam super hoc sinistra possit haberi suspicio litteras presentes sigilli nostri munimine et dilecti fratris nostri domini .b. lyncopens. episcopi confirmamus. Datum Anno domini. M°.CC°.LXXX°.IX°. pridie Idus iunii, In die consecracionis abbatisse ac aliarum monialium plurimarum.

På frånsidan: De ramstadh & kidhiauath.

Bägge sigillen äro bortfallne.

995.

1289 d. 16 Juni.

Färingsö.

Biskop PETERS i Westerås Fullmakt för 2:ne caniker att hos Páfven utföra hans klagomål rörande olägenheterna af Lunds Árke-Biskopars Primat öfver Sverige.

A. 2. (K. y. 2. 78.)

Sanctissimo Patri ac Domino, Sacrosancte Romane ac vniuersalis ecclesie summo Pontifici, Petrus dei gracia episcopus arosiensis totumque Capitulum eiusdem loci oscula beatorum. Noscat Vestra Sanctitas reuerenda quod nos facimus constituimus et ordinamus nostros et ecclesie nostre procuratores actores syndicos et nuncios speciales prouidos et discretos

viros, Dominum Nicolaum Decanum, et Magistrum Laurentium canonicos ecclesie vpsaliensis metropolitane nostre quemlibet eorum in solidum ita vt non sit melior conditio occupantis ad representandum de nostro et ecclesie nostre nomine coram Sanctitate Vestra et ad exponendum damna grauamina et inportabilia onera que obuenerunt obueniunt et obuenire possunt nobis et prefate ecclesie vpsalensi pro eo et ex eo et ea occasione et causa, quod lundensis archiepiscopus contra nos et ecclesiam vpsalensem jus vendicat et uendicare nititur primacie, asserens quod vpsalensis electus, confirmationem a lundensi archiepiscopo consecrationem et eciam pallium recipere teneatur. Et ad supplicandum Sanctitati Vestre quatinus compacientes nobis et ecclesie nostre vpsalensi apponere dignemini remedium oportu- num vt dicta vpsalensis ecclesia occasione huiusmodi vltius non grauetur. Damus insuper dictis procuratoribus et cuiuslibet eorum in solidum potestatem in animas nostras et cuiuslibet nostrum prestandi de calumpnia et de veritate dicenda et cuiuslibet alterius generis iuramentum, Restitucio- nem in integrum principaliter et incidenter semel et pluries petendi et fa- ciendi in predictis et circa predicta quidquid nos ipsi facere possemus si presentes essemus. In predictis autem omnibus et singulis alium seu alios procuratores semel et pluries substituendi qui eandem in omnibus habeant potestatem et in se ipsos procuracionis officium resumendi quo- ciens eis et eorum cuiuslibet videbitur expedire promittentes sub ypotheca et obligacione omnium bonorum nostrorum, nos ratum gratum ac firmum perpetuo habituros, quidquid per dictos procuratur, et eorum quemlibet substitutum seu substitutos ab eis et eorum altero actum, gestum et pro- curatum fuerit in premissis et circa premissa. In cuius rei testimonium pre- sentes litteras fieri fecimus et sigillorum nostrorum munimine roborari. Da- tum apud feringø. XVI^o kalendas Julij.

Biskopens sigill, skadadt finnes; af Dom-Capitlets, på en ur brefvet skuren remsa, blott ett litet stycke kvar.

996.

1289. d. 1 Juli.

Strengnäs.

Konungen MAGNUS Is Fastebref på Ekeby, hvilket Riddaren Werner Brunke försält till Biskop Anund i Strengnäs.

A. 3. g. 2. 14.

Uniuersis christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Magnus dei gra- cia sweorum Gotorumque rex. Salutem in domino ihesu christo, Coram vniuersitate vestra tenore presencium recognoscimus dilectum fidelem no- strum & militem. dominum wernerum dictum Brunkæ predium dictum Eke- by videlicet quindecim sollidos terre cum dimidio venerabili patri domino Anundo strengnensi Episcopo pro triginta marchis denariorum & vna vsualis